



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Et Virtutes Venerabilis Patris Lvdovici De Ponte, Societatis Jesu**

**Lamparter, Heinrich**

**Jngolstadii, 1662**

Epistola XVII. Ad Eundem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43978**

EPISTOLA XVII.

AD EUNDEM.

SPIRITU BLASPHEMIÆ  
TENTATO QUID SV-  
DENDVM.

*Pax Christi.*

**V**alde indignatur diabolus<sup>p</sup>  
Religiøsæ illi animæ, quòd  
memoriam DEI in se conservet:  
quãdoquidem eam deturbare co-  
natur, multitudinem blasphemia-  
rum ac tentationum horribilium  
ingerens: quo enim odio ipse in  
DEVM flagrat, eo etiam alios er-  
ga illum affici vellet: hinc cùm  
aliquem eximio DEVM amandi  
desiderio teneri conspiciatur, suos  
quamprimum dolos expedit, te-  
nebras offundit, varias easque  
terribiles illi imagines repræsen-  
tat; quia plus non potest. Verùm  
hæc sola causa, quòd malo spiri-

HN 4 tui

tui doleat suos conatus frustrari, sufficiens est, ut suggestiones eius non curet, sed perinde, ac si nihil earum imaginationum adesset, pergat in opere quod habet præ manibus, vel Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, aut aliquid simile recitet. In animum revocet dictum illud sanctæ Theresæ de JESU; omnes has turbas tantum per suburbium animæ nostræ transire, ad ipsa Spiritûs penetralia non pervenire; hæere in limine aut atrio, non tamen aditum habere ad aulam, intimumque conclave, ubi conjunctus DEO suo spiritus habitat; & licet excitare tumultus possint, inferre tamen damnum non posse; quin ex eo, quod amore DEI fortiter toleratur, bonum profectus proprii magis promoveri.

Si Tyrannus, aut crudelis Hæreticus pro eo odio, quo in Christum

stum Servatorem nostrum fertur,  
blasphemias adversus DEVM, atque  
Unigenitum ejus Christum Do-  
minum nostrum voces proferre  
ei suaderet, omne id, quod san-  
cta Fides nostra docet, meram  
imposturam esse dictitans; ne illa,  
si fortiter ei resisteret, minasque  
& consilium rideret, copiosum  
Fidei suæ præmium mereretur;  
atque hoc honore aliquod Chri-  
sto Domino nostro gloriæ incre-  
mentum afferret, qui utique  
novit illum liberaliter remunera-  
ri. Idem profectò per imaginatio-  
nem molitur Dæmon: quare si hæc  
Religiosa eum contemnat, & con-  
stans adversus eundem stet, ma-  
gno utique DEVM ac Servatorem  
nostrum, ejusque sanctissimam  
Fidem honore afficit: unde in ea  
perseverans insigne tandem præ-  
mium consequetur. DEVS illi, ac  
omnibus nobis perseverantiam,  
HH 5 largia-

largiatur. Si minus appositè ad  
 consulentis necessitatem locutus  
 sum, moneat eam Reverentia  
 Vestra, rarò Medicum tam felicem  
 esse, ut ad absentis infirmi affe-  
 ctum satis aptum remedium præ-  
 scribat. Dominus noster, qui est  
 ubique præsens, defectum meum  
 supplere, & Reverentiam Vestram  
 custodire velit. Vallisoleti 27. Junij  
 Anno. 1617.

EPISTOLA XVIII.

*E I D E M.*

QVID CONSVLENDVM  
 SCRVPVLOSO.

*Pax Christi.*

**P** Erfert vitam P. Balthasaris  
 Dominus Luisius de Oscariz:  
 Feci quod potui, non potui quod  
 volui. Videtur is mihi talem vitæ  
 consortem invenisse, qualem ex-  
 optare debuerat: nec dum tamen  
 abjecit scrupulum de voto, quo  
 se